

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1059

1057

1063

1053

1068

1048

1108

1008

0958

0558

0058

Ende

Anfang

486

Alexandria fabricaverunt, ut dicetur fol. 131. Hunc ergo iudum
cum bove et vitulo viderunt filii Israel et ideo vitulum, taurum
juvenem, ex auro conflatum pro deo sicut Aegyptii sibi ele-
gerunt eique chorizando et sacrificando et altare construendo,
sicut in Aegypto viderant, cultum impenderunt in hoc campo.

In progressu venimus in locum, ubi magni cumuli arena-
rum erant et terra tumorosa; in quo loco sepulti dicuntur
fuisse illi, qui propter idolatriam illam fuerunt Moyse jubente
interfecti, XXIII millia virorum, ut habetur Exodi XXXII et
1. Cor. X. Consequenter ascendimus in illa lata valle et ad
ipsam arctam vallem venimus, per quam itur ad monasterium
S. Catharinae, per quam ingressi in hortum monasterii veni-
mus, qui hortus a muro monasterii descendit per longum
spatium et irrigatur eo modo, sicut hortus ad XL sanctos,
prout ibidem dictum est. Est autem hortus consitus olivis et
diversi generis arboribus, magnus et solatiosus, et multa
sunt in eo loca, de quibus mentio fit in sacra Scriptura.
Dum ergo per hortum ascendimus, jussit nos ostensor locorum
sursum in juga montium aspicere. Vidimus autem in altissima
rupe, quae consurgit ante montem Oreb, vitulum stantem et
contra nos respicientem, quasi paratum ad saltandum deorsum
et apparuit ita manifeste cum omnibus lineamentis et quanti-
tate debita, ac si vere animal fuisse, vel apparenter vitulus
fuisse factus arte, sed nec naturalis nec artificialis vitulus
est, est autem quaedam rupes in altum protensa, cuius sum-
mitas sine intentione alicujus hominis rupta est et inferius
inspecta videtur esse vitulus. Unde fratres monasterii saepe
moti curiositate ascenderunt montem, sed nullam vituli figuram
superius invenire potuerunt, sed solum abruptas petras et
scopulos praeruptos, qui inferius figuram vituli videntur
habere sicut saxum in Aegaeo mari est, quod figuram
habet caprae a longe inspectum, propter quod et ipsum
mare Aegeum dicitur, quia aegea dicitur graece capra. Et
in alio loco maris vidimus scopulum quasi aspidis formam
habentem a remotis, sed dum prope essemus, erat grande
saxum. Sic dum quis ascendit de oppido Wisastaig versus
Ulmam, videtur in alto procul petra erecta, quasi homo sculp-
tus, sed dum homo prope venit, nihil appetet, nisi rupes

